

tribus nostris justè & rationabiliter statuta esse cognoscimus, animo lubenti auctoritate Apostolica confirmamus. Quemadmodum autem ex Scriptorum tuorum, quæ ad nos tua dixerit fraternitas, inspectione, & nuntiorum tuorum relatione percepimus, clericorum, qui in Ecclesia S. Mariæ de Magdeburgo minus religiosè vivebant, & ob hoc etiam bona ipsius Ecclesiæ fuerant imminuta, in locis aliis, necessitatibus suis tanquam pius Pater providens posuisti: & in eadem Ecclesia B. Mariæ religiosos Viros canonicam vitam professos statuisti: quod quia à prudentiâ tuâ zelo Dei in Religionis intuitu justè factum esse dignoscitur, ratum jubemus. Datum Later.

Bullam hanc commuicavit mihi ex monumentis ejusdem Ecclesiæ B. Mariæ Magdeburgensis V. D. F. Prosper Moriconi, Ecclesiæ nostræ Antwerpensis Canonicus, qui in eadem Ecclesia B. Mariæ aliquamdiu resedit ante Magdeburgi excidium. Ejusdem communicatione, ex iisdem monumentis lubet addere aliam Bullam S. Norberti pro hoc cœnobio B. Mariæ circa curam pauperum, quæ ipsi Sancto summæ semper curæ fuit, in hac forma:

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

NOS NORBERTUS, DEI gratia sanctæ Ecclesiæ Magdeburgensis Archi Episcopus. Cum plurima Antecessoris nostri piæ Memoræ Adelberti Archi Episcopi munificæ largitate quedam domus Hospitalis juxta Ecclesiam Beatæ & Gloriosissimæ Mariæ constructa fuisset, ipsam, quod non sperabamus, penè annihilatam invenimus; ita quod hi, qui in ea stipendium quotidianum accepturi erant, indecenter
& mi-